



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Anastasii Papae III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**



## VITA ANASTASII PAPÆ III.

ANNO  
CHRISTI  
910.



NASTASIVS, patria Romanus, Lucia-  
ni filius, anno Domini nongentesimo  
decimo Sergio inuasori sedis est sub-  
rogatus, tempore Lamberti & Leo-  
nis imperatorum. Sedit annos duos, &  
menses totidem. Ticinensem eccle-  
siam, teste Sigonio libro 6. de regno  
Italiae, plurimis iisdemque magnificis ornamentis deco-  
rauit, concedens ei vsũ umbellæ, equoque vehi albo,  
crucem præuiam in itinere habere, & in Conciliis a læua  
pontificis assidere.

Anastasius  
quando  
pontifex  
factus.

Huius tempore Lambertus imperator, cum esset anno-  
rum triginta duorum, ab Vgone comite Mediolanensi in  
venatione occulte necatus est, summa regni deinceps ad  
Berengarium deuoluta.

Leo sextus eius nominis imperator orientalis, ventris  
profluuiio laborans excessit e viuis anno imperii sui vige-  
simosexto. Præterea centum & tredecim nouellas con-  
stitutiones, Iustinianum imitatus, de sacris simul & profa-  
nis ridicule nimis edixit. Extat vna sub eius nomine epi-  
stola in bibliotheca sanctorum patrum de Christianæ fi-  
dei veritate inscripta, qua Spiritum sanctum a Patre Fi-  
lioque procedentem profitetur his verbis: Ego sum Do-  
minus Deus tuus, creator tuus, lumen de lumine, Ver-  
bum de Patre, ex quibus Spiritus sanctus procedit. Quod  
ideo dictum velim, vt intelligas orthodoxam doctri-  
nam huius temporis viros disertos recepisse; exclamasse  
tamen, quod sine œcumenici Concilii auctoritate in sym-

Lamberti  
& Leonis  
imperatorũ  
obitus.

Leo profi-  
tetur Spi-  
ritum san-  
ctum a Pa-  
tre & Filio  
procedere.

Concil. Tom. 25.

A

bolo posita esset. Defuncto Leoni in oriente frater illius Alexander homo nefarius, anno ætatis suæ 20. vna cum Constantino imperatoris Leonis filio puero succedit in imperio, & post sextum mensem imperii, propter contemptum Dei, & sanctorum imaginum, infami exitu, vt tradunt Curopalates & Aretas, mortuus est, solique Constantino imperium reliquit. Anastasius papa, cum sedisset annos duos & menses totidem, obiit anno Redemptoris nostri 912. sepultus est in basilica sancti Petri, vt habet epitaphium illius, quod ex Manlio recitat Baronius.

Anastasio  
papæ tem-  
pus sedis.

## V I T A

## L A N D O N I S P A P Æ.

ANNO  
CHRISTI  
912.

Lando  
quādo pon-  
tificatum  
adeptus?

**L**ANDO patria Sabinus, Trani filius, successit Anastasio pontifici anno Christi nongentesimo duodecimo, tempore Constantini octavi imperatoris orientalis. Hic ad importunam instantiam potentissimi, nobilissimi & impudentissimi scorti Theodoræ, quæ duarum filiarum, alteram Maroziam Sergio papæ, Theodoram vero alteram Adelberto marchioni Tusciæ prostituerat, & per hoc monarchiam vrbs tenebat, Ioannem, quem illa turpissime deperibat, ex Rauennate presbytero episcopum Bononiensem creauit, defunctoque Petro Rauennate archiepiscopo, eundem in eiusdem ecclesiæ Rauennatis archiepiscopum transtulit. Et paulo post quam rem tam foedam peregisset, inquit Luitprandus libro 2. cap. 13. ex hac vita migravit.

## V I T A E T E P I S T O L Æ

## I O A N N I S P A P Æ X.

ANNO  
CHRISTI  
912.

Ioannes  
papa per  
Theodo-  
ram mer-  
etricem in  
sedem pon-  
tificiam ele-  
uatus.

**I**OANNES, de quo supra in Landone, ex archiepiscopo Rauennate factus est pontifex, vel potius pseudopapa, anno Domini nongentesimo duodecimo, tempore Constantini imperatoris orientalis. Theodora meretrix impudentissima in huius speciei decorem vehementer exardens, Landoni pontifici subrogari procurauit eundem, quem ipse Lando ex Bononiensi episcopo archiepisco-